



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 101. Gravis contentio Papam inter & Siciliæ Pro-Regem ob violatam  
immunitatem Ecclesiasticam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. explicatione fufius manifestatum pro-  
A. C. 1712. dunt, aliunde vero constans & Eccle-  
 siæ Romanæ mos sit, quæ dum libros &  
 doctrinas publice evulgatas damnat,  
 Auctores ipsos in iudicium non vocat,  
 nisi simul nota est irroganda Personæ.

## §. CI.

*Gravis contentio Papam inter & Siciliæ Pro-Regem ob violatam Immunitatem Ecclesiasticam.*

*Guarnacc.  
 Vitæ Pontif.  
 t. 2. p. 15.  
 Bull. & E-  
 pist. Clem.  
 XI.*

Tempore, quo Marchio Carolus Philippus Antonius Spinula Columna de Los Balbazes Pro-Rex Siciliæ Regnum administrabat, primum violatæ immunitatis nuntium alius & alius excipiebat: Parva erat scintilla, ex qua tamen hoc anno ingens conflatum est contentionis incendium; cum enim præfatus Pro-Rex in Liparensi urbe quoddam leguminum genus ex Episcopalibus prædiis collectum novo tributorum oneri reddidisset obnoxium, Nicolaus Maria Tedeschi Liparensis Episcopus Pro-Regis Ministros læsæ immunitatis reos declarabat, cumque injuriam illatam reparare recusarent, eos tertio monitos communionem Catholicam interdixit, atque a Sacris removit. Verum Regii Ministri Joannes Baptista Teforeus, & Jacobus Christo poenas ab

ab Episcopo inflictas flocci habentes, Sæc. XVIII. A. C. 1712.  
 Episcopum quamplurimis contumeliis, gravibusque vexationibus afficere, & exagitare præsumperunt, atque ab Monarchiæ Siculæ Tribunali (\*) a censuris absolvi petierunt, prout etiam ab eadem fuere absoluti. Ea re Romam delata, Pontifex hujus causæ discussionem

(\*) Siculi huic Tribunali adjudicant amplissimam potestatem in universam Ecclesiæ jurisdictionem, ajunt enim Urbanum II. Rogerio Siciliæ Comiti & cuidam Curia hoc privilegium per speciale diploma indulgisse, hocque diploma per plurima sæcula in tenebris latuisse, anno autem 1513. studio Joannis Lucæ Barberii, qui antiqua ad Siciliam spectantia diplomata in unum volumen congregavit, illudque *Caput Brevius* appellavit, iterum lucem aspexisse: Ast præterquam quod ex ignoto prorsus loco depromptum dubiæ fidei, nulliusque veritatis speciem præferat, ac propterea ab eruditis pro falso & commentitio habeatur, insuper nil ultra continet, nisi quod vivente eodem Rogerio ejusque Filio Simone, illiusque legitimis hæredibus, ipsimet munere legati Apostolici fungi possent, quod ipsis ideo concessum, ut effrænes Siculorum abusus coercerent, &

Sacrae

Sæc. XVIII. fionem Sacræ Congregationi Ecclesiæ  
 A. C. 1712. sticæ Immunitati præpositæ commisit,  
 quæ præmissis diligenti & maturo exa-  
 mine die decima sexta Januarii decre-  
 tum edidit, quo absolutio a præfato  
 Tribunali concessa prorsus nulla ac ir-  
 rita declarata fuit. Idem hoc decre-  
 tum a Papa confirmatum Episcopus in  
 Liparensi civitate auctoritate Pontificia  
 promulgavit, ac nuper a se excommu-  
 nicatos ab omnibus Christi Fidelibus  
 vitandos esse declaravit: mox autem  
 Vincentius Aucellus Ecclesiæ S. Petri  
 Panormitanæ Canonicus a præfata Mo-  
 narchia Deputatus unacum Notario,  
 & militum cohorte Liparam ablegatus  
 est, ut non modo in eos, qui S. Con-  
 gregationis decretum promulgarunt,  
 sedulo inquireret, eosque puniret, sed  
 & ut hosce excommunicatos diris &  
 execrationibus exsolveret. Hic igitur  
 Liparam delatus, statim excommuni-  
 catos

Sacræ Sedis mandata fideliter exequerentur,  
 & exequi curarent, nullatenus autem, ut  
 hæc legatio foret perpetua, cum sequentium  
 temporum series ostendat, quod Legati a Papa  
 missi sæpissime, & quotiescunque oportuit,  
 reluctantibus minime Siculis Rectoribus,  
 Legationes suas obierint, & Siculi ad Ro-  
 manos Pontifices appellarint.

catos secum ad Ecclesiam B. V. palam Sæc. XVIII.  
 adduxit, ipsisque præsentibus quos- A. C. 1712.  
 dam utriusque Cleri Viros adesse iussit,                       
 eis injungens, ut hosce excommuni-  
 catos ad communionem & Sacramen-  
 torum participationem admitterent,  
 gravibus, si secus fecissent, indictis  
 pœnis: renuentes vero Aucellus ad  
 multas pecuniarias vi adegit, & Di-  
 dacum Hurtado præfati Episcopi Vi-  
 carium Generalem iussit, ut interminata  
 quadringentarum auri unciarum multa  
 domum pro carcere haberet, cumque  
 hic speciale, ut vocant, monitorium  
 opponeret, Aucellus duos Sacerdotes,  
 qui illud ei tradiderunt, vinculis con-  
 strictos in arctissimum carcerem conjeci,  
 & valida militum manu stipatus, ef-  
 fractis Palatii Episcopalis foribus præ-  
 fatum Vicarium unacum P. Ildephonso  
 Aretio Benedictino, qui Episcopo a  
 confessionibus erat, captivos detineri  
 domumque Vicarii, ad quam ambo con-  
 fugerant, a militibus per plures dies  
 custodiri iussit. Cunctos vero Epi-  
 scopalis Curix Administratos, Urbis Pa-  
 rochum & octo alios Sacerdotes, eo-  
 quod excommunicatis Sacramenta ad-  
 ministrare renuissent, in custodiam rapi  
 præcepit, minitatus, quod domesticam  
 Vicarii suppellectilem omnem describi,  
 ac publico in foro venalem exponi, cu-  
 raturus

Sæc. XVIII. raturus esset, ni paratam ingentemque  
A. C. 1712. pecuniarum summam mox numeraret,  
 quam cum præfatus Vicarius prom-  
 ptam non haberet, fœnore accipere  
 compulsus est. Cum ergo Pontifex  
 his violentiis Ecclesiæ libertatem gravi-  
 ter læsam cerneret, cuncta hucusque  
 gesta reprobans, damnansque, Auce-  
 lum, ejusque Nepotem Franciscum, &  
 reliquos violatæ Immunitatis reos in  
 censuras S. Sedi reservatas incidisse,  
 die decima octava Junii declaravit, ac  
 die vigesima ejusdem Mensis Panor-  
 mitano Archiepiscopo injunxit, ut præ-  
 fatum S. Congregationis decretum, &  
 anathematis literas in tota sua Dize-  
 cesi affigi, atque in illis contenta  
 debitæ executioni demandari curet,  
 ipsum vero Pro - Regem monuit, ne  
 prædicta Archiepiscopo, cui hujus sen-  
 tentiæ executionem commisit, impe-  
 dimentum objiciat, milites vero, qui  
 Episcopale Palatium custodiebant, sine  
 mora amoveri curet. Insuper die vi-  
 gesima secunda Octobris datis ad om-  
 nes Siciliæ Præsules literis præfatum  
 S. Congregationis decretum, quo ab  
 Episcopis ob læsam immunitatem ex-  
 communicatos a nemine præterquam  
 a Papa absolvi posse statutum, a se  
 specialiter confirmatum fuisse signifi-  
 cat, cunctosque ad exactam illius ob-  
 serva-

Sæc. XVIII.  
 A. C. 1712.  
 servationem hortatus est: vehementer  
 autem Siciliæ Pro - Regem redarguit,  
 eoquod Josephum Migliaccium Messa-  
 nensem Archiepiscopum, Andream  
 Riggium Catanensem, Franciscum Ra-  
 mirez Agrigentinum, & Massariensem  
 Episcopos ad S. Congregationis decre-  
 tum infra octidui terminum abolendum  
 compellere attentasset. E contrario  
 autem Pontifex Catanensem, Agrigen-  
 tinum & Massariensem Episcopos sum-  
 mis laudibus honorabat, eoquod præ-  
 fatum decretum ubique promulgassent,  
 & Pro - Regis edictum rursus affigere  
 jussi, strenue restitissent. Quid vero  
 Pontifex iterata Vaticani tormenti ex-  
 plosione profecerit, paulo inferius me-  
 morabimus.

§. CII.

*Aliæ Contentiones in Neapolis Re-  
gno, & Genuensi Republica.*

Nec magis immota erat concordia  
 Pontificis cum Pro - Rege Nea-  
 politano; Fabritius enim Lyciensis Epi-  
 scopus, postquam ob defensam immu-  
 nitatem Ecclesiasticam non modo sua  
 Ecclesia, sed & universo Neapolis Re-  
 gno Pro - Regis jussu violenter ejectus  
 fuerat, civitatem & Diæcesin inter-  
 dicto supposuit: mox vero Pro - Rex  
 aliud

*Epist. Clem.  
 XI. p. 1782.  
 Bull. magn.  
 Clem. p. 110.*